

spiritu, plurimæ cæremoniæ fuerunt divina institutione traditæ, ac præceptæ; at vero lex nova est lex gratiæ et spiritus; et ideo solum in ea tradidit Christus quæ ad gratiam obtinendam sunt necessaria media, vel utilia instrumenta; reliqua vero Ecclesiæ suæ disponenda commisit.

3. *Ecclesiæ a Christo tradita potestas cæremonias instituendi.* — Cæremoniarum in Ecclesia antiquitas. — Dico ergo secundo, Christum Dominum dedisse Ecclesiæ potestatem instituendi has cæremonias; quam partim Apostoli, partim eorum successores Episcopi et Pontifices exercuerunt, et hujusmodi originem habuerunt cæremoniæ, quas nunc Ecclesia observat. Tota hæc assertio, quoad rem in ipsa contentam, est de fide, ut constat ex Concil. Trident., sess. 7, can. 13 de Sacram. in genere, et sess. 21, cap. 2, et ad eam confirmandam adducit illud Pauli 1 ad Cor. 4: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; et illud 1 ad Cor. 11: Cætera autem, cum venero, disponam; ubi Paulus agebat de ritu in dispensatione Eucharistiæ servando. De quo etiam agens Augustinus, epist. 118, cap. 6, inquit: Non præcepit Christus, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, servaret hunc locum.* Secundo hæc potestas ex ipso usu satis probatur; ex actibus enim potentia recte colligitur; constat autem, hunc usum non esse in Ecclesia recentem, sed a temporibus Apostolorum incepisse, ut auctor est Clemens Pap., in epist. 2 decret., et lib. 7 Constit. Apost., cap. 23, et sæpe in illis libris et Epistolis; Dionys., toto lib. de Eccles. Hierarch., ubi fere in singulis capitibus hos ritus docet, atque eorum significationes declarat. Et c. 4, præmittit, illos esse ex Apostolica traditione. Item Innoc. I, epist. 4, docet, hujusmodi cæremonias in Latina Ecclesia duxisse originem ab Apostolo Petro; similiter Leo Pap., ep. 84, agens de cæremoniis servandis in ordinatione sacerdotis, eas dicit haberi ex Patrum traditione. Unde Tertullianus, lib. de Corona militis, cap. 3, ubi agit de observandis traditionibus non scriptis, præcipue exemplum ponit in his cæremoniis sacramentorum. Quod etiam fecit Orig., homil. 5 in Nume., qui exempla ponens in his cæremoniis ait, datas esse a magno Pontifice, et a filiis ejus, et ab omnibus observandas esse, licet ratio omnium non omnibus pateat. Idem legimus apud Basil., lib. 4 de Spiritu Sancto, cap. 27, et frequen-

ter apud August., epist. 118 et 119, ubi specialiter, cap. 15, dicit, multa ex his stabilita esse per Patrum Concilia, et cap. 18, optimam regulam constituit, quæcumque bonis moribus non repugnant, nec fidei, et habent aliquid exhortationis vitæ melioris, ubicumque instituta videantur, non esse improbanda, sed laudanda, et sectanda. Et lib. de Nup., cap. 20, et lib. 6 contra Julian., cap. 2, ubi ait, hujusmodi cæremonias ab universa Ecclesia vera fide servari. Tertio probari potest, quod in Ecclesia sit hujusmodi potestas a Christo data, ex alia universaliori potestate, quam Christus Ecclesiæ suæ reliquit in Vicario suo ad illam convenienti modo regendam, juxta illud: *Pasce oves meas*, Joan., 21, quæ res latius tractatur in 2. 2, quæst. 4, art. 10, nam sub hac generali potestate necesse est, aliam, de qua hic agimus, contineri. Primo quidem, quia cum hæc potestas spiritualis sit, principaliter ordinata est ad divinum cultum et ad bonum animarum; ad eam ergo pertinet statuere debitum modum et ordinem servandum in Ecclesia, in ritu ac cæremoniis necessariis ad convenientem sacramentorum administrationem. Deinde, quia cum Christus Dominus per se ipsum immediate hæc non instituerit, necessaria fuit Ecclesiæ hæc potestas; alioqui non possent sacramenta debita reverentia dispensari; et infinita esset confusio in Ecclesia, si uniuscujusque arbitrio hoc esset commissum. Unde etiam in lege naturæ, ut publicus Dei cultus per oblationes vel sacrificia, vel orationes et laudes publicas, vel alias observantias, debito modo fieret, erat potestas in republica ad præscribendum modum, et ritum in hujusmodi cultu et cæremoniis ejus, ut latius dicemus infra, agentes de sacrificio; multo ergo magis in lege nova necessaria fuit hæc potestas, tanto altior, et superioris rationis, quanto cultus divinus in hac lege altior est et supernaturalior. Si autem talis potestas est in Ecclesia, non potest esse nisi in pastoribus ejus, quorum principes fuerunt Apostoli; quibus Episcopi succedunt; inter quos summus Pontifex supremam habet potestatem, a qua omnis alia ecclesiastica potestas pendet; solus enim ille proprie loquendo potest aliquid instituere, quod universam Ecclesiam obliget; nam licet Concilium generale hoc etiam possit, non tamen sine auctoritate Pontificis congregantis et confirmantis illud. Possunt tamen privati Episcopi in suis diocesisibus nonnullos ritus et cæremonias instituere, quæ non sint contra

universalem Ecclesiæ legem aut traditionem, sicut legimus fecisse Ambros., Chrysost. et alios, et nostra etiam ætate videmus esse in usu, quia omnes Episcopi sunt ordinarii pastores, et principes suarum Ecclesiarum, et ideo sufficientem habent jurisdictionem ad hujusmodi actus, sicut possunt etiam præcipere jejunium, aut observantiam alicujus diei festi et alia hujusmodi. Constat igitur sufficienter, esse in Ecclesia hanc potestatem; usus autem ejus ipsa rerum evidentia notissimus est. Quæ autem cæremoniæ institutæ sint ab Apostolis, quæ vero a Conciliis, vel Pontificibus, in particulari tractandum est, cum agemus de singulis sacramentis. Hic generatim nulla melior regula tradi potest, quam illa vulgaris, quæ est apud August., lib. 4 de Bap., cap. 24: nam quæ servantur ab universa Ecclesia semperque servata leguntur, et in nullo Concilio, vel summi Pontificis decreto instituta esse reperiuntur, signum est, ab Apostolica traditione manasse, ut, v. gr., quod Eucharistia a jejuniis sumatur, quod aqua vino consecrando misceatur, etc.; in his vero quædam sunt absolute recepta in universa Ecclesia, tam Græca, quam Latina, ut ea, quæ diximus; alia vero sunt recepta in universa Ecclesia Latina, non tamen in Græca, vel e contrario; ut quod fiat consecratio in azymo, vel fermentato, quæ potuerunt etiam ab Apostolis manare. Nam cum diversi in diversis regionibus prædicaverint et Ecclesias fundaverint, potuerunt in his, quæ pendebant ex humano arbitrio, diversos ritus tradere seu introducere. Cujus egregium exemplum est in illa antiqua controversia de celebratione Paschatis, in qua Orientales contendebant ritum celebrandi Pascha, luna decima quarta, quocumque die hebdomadæ incideret, sibi fuisse a Joanne Evangelista traditum; Romani vero et Occidentales ex Petri traditione Pascha esse Dominica die celebrandum semper docuerunt. Quem ritum ab universa Ecclesia servari postea præcepit Concil. Nicæn.; atque simili modo sunt aliæ universales cæremoniæ, quas constat esse a Pontificibus institutas; ut de aqua benedicta, etc. Alii vero ritus particularium regionum aut diocesium ex privatis consuetudinibus vel ordinationibus Episcoporum introducti sunt.

4. *Penes quem sit potestas mutandi ritus.* — Unde intelliguntur verba citati canonis Concilii Trident., sess. 7, can. 13, ubi sic inquit: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Eccle-*

siæ Catholicæ ritus, in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi consuetos, in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem immutari posse, anathema sit. Hæc enim verba intelligenda sunt præcipue de universalibus ritibus in universa Ecclesia, præsertim Romana, receptis, de quibus non dicit Concilium, per nullum pastorem mutari posse, sed non per quemcumque; nam ab inferioribus Episcopis mutari non possunt, quia hujusmodi ritus universales, ut dixi, originem habent ab universaliori et superiori potestate; inferiores autem non possunt derogare ea, quæ a superiori instituta et præcepta sunt. Summus autem Pontifex de plenitudine potestatis suæ posset hujusmodi ritus mutare, quia ejus potestas non est inferior, sed eadem cum illa, ex qua hujusmodi ritus originem duxerunt. Nunquam tamen id facit aut faciet sine magna necessitate vel utilitate, præsertim in his observantiis, quæ antiquissimæ sunt in Ecclesia, et ab Apostolis creduntur traditæ, ac perpetuo observatæ. Atque eadem proportione judicandum est de privatis cæremoniis particularium Episcopatum. Nam illæ etiam possunt ab Episcopis mutari, si expedire censuerint, quando propria summi Pontificis auctoritate non sunt confirmatæ, propter eandem rationem. Cavendum tamen est in hujusmodi mutationibus scandalum, et pro temporum ac locorum opportunitate semper est habenda ratio divini cultus et fructus animarum.

5. *Ejusdem Ecclesiæ est sacramentalium ministros designare, cujus est sacramentalia instituere.* — Dico tertio: sicut hæc sacramentalia per Ecclesiam sunt instituta, ita ministri eorum illi sunt, qui juxta eandem Ecclesiæ institutionem sunt ad hoc ministerium designati. Ratio est clara, quia ad eum pertinet designare ministrum alicujus actionis, seu ministerii, ad quem spectat talem actionem et ministerium instituere. Nam illud est veluti pars institutionis. Qui autem designati sint ab Ecclesia ad hujusmodi sacramentalia efficienda, non potest in genere dici, donec ad singula descendamus; nam quædam fieri possunt a simplici sacerdote; quædam ab Episcopo; et quædam solus summus Pontifex exercet, ut est consecrare cereos Dei agnos. Loquendo vero specialiter de his sacramentalibus, quæ sunt veluti circumstantiæ solemnium administrationis alicujus sacramenti, ille potest regulariter loquendo talia sacramentalia ministrare, qui potest tale sacramentum tan-

quam minister ex officio conferre. Ex quo recte colligit Durand., in 4, disp. 2, quæst. 4, n. 8, in hac re posse fieri mutationem per summum Pontificem. Nam ea sacramentalia, quæ nunc solus Episcopus potest efficere, possunt committi simplici sacerdoti ex ordinatione Pontificis, quia cum hæc sint de jure positivo, mutari possunt ab eo, qui supremam habet in eo genere potestatem. An vero hoc ministerium possit cuilibet inferiori clerico, vel etiam laico committi, ex professo dicitur in tractatu de sacramento Ordinis.

SECTIO IV.

Utrum hæc sacramentalia habeant aliquem effectum spiritualem.

1. *Quæstionis explicatio.* — Non est quæstio de effectibus ex opere operantis, seu ex natura ipsius operis; nam certum est, hos actus, cum sint honesti et religiosi cultus Dei, ex se aptos esse ad meritum et satisfactionem, si operans sit in gratia, et debita intentione ac modo hæc omnia observet, seu operetur, quia talis observatio est grata Deo; ergo de se meretur, apud ipsum, effectum gratiæ ex opere operantis. Unde legimus, interdum Sanctos passos esse martyrium, ne cæremonias ecclesiasticas contemnerent, ut eleganter prosequitur Tertullian., in lib. de Corona militis, et in Scriptura habemus Machabæorum exemplum; quia mirum in his continetur quædam professio fidei et religionis; ergo si debite fiat, erit valde meritoria, juxta illud ad Rom. 10: *Confessio fidei fit ad salutem*; et illud Matth. 10: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*. Item constat, hujusmodi cæremonias esse aptas ex se ad excitandam memoriam, intelligentiam, ac devotionem circa Deum, et res divinas, ut in superioribus ostensum est; et hos effectus voco connaturales ipsi operi. Quæstio ergo est de effectu aliquo per modum operis operati, qui conjunctus sit cum tali opere ex speciali virtute seu efficacia vel promissione illi addita ex vi institutionis. Est autem ratio dubitandi, quia hæc sacramentalia, ut dictum est, per Ecclesiam sunt instituta; non videtur autem Ecclesia habere potestatem ad promittendum, vel conferendum aliquem effectum spiritualem ex opere operato. In contrarium vero est, quia omnes auctores, qui de his sacramentalibus scribunt, aliquam spiritualem vim illis attribuunt.

2. Ut distinctius respondeamus, distinguemus omnes effectus, qui videntur posse his sacramentalibus attribui. Primus est, gratia gratum faciens habitualis. Secundus, aliquod auxilium, vel bonus motus gratiæ. Tertius, remissio culpæ saltem venialis. Quartus, remissio alicujus pænæ temporalis, cujus reatus manere solet remissa culpa. Quintus, dæmonis expulsio, vel cohibitio, ne lædat. Sextus, aliquod commodum temporale, ut sanitas, vel aliquid hujusmodi. Est autem observandum, quando inquirimus, an sacramentalia habeant hujusmodi effectus, non esse sensum, an omnia et singula conferant omnes illos; quia non omnia habent eosdem effectus, neque ad eosdem fines sunt instituta; quod colligendum est ex singulorum institutione et modo quo conficiuntur; sensus ergo est indefinitus, an in latitudine sacramentalium sint aliqua, quæ hos effectus conferant.

3. Circa primum effectum, certum est, per hæc sacramentalia non conferri gratiam ex opere operato, quia si hoc haberent, jam non essent sacramentalia, sed sacramenta; unde, quibus rationibus supra probavimus, non habere Ecclesiam potestatem instituendi sacramenta, probari etiam potest, non potuisse dare his cæremoniis virtutem ad conferendam gratiam ex opere operato.

4. *Prima opinio affirmans habere vim excitandi bonum gratiæ motum ex opere operato.* — *Secunda opinio negans.* — Circa secundum effectum, nonnulli tribuunt his sacramentalibus virtutem ad excitandum in nobis aliquem bonum gratiæ motum ex opere operato. Quæ sententia tribui solet D. Thom., infra, quæst. 83, art. 3, dicenti, templum et res alias ab Ecclesia consecratas, habere spiritualem quandam virtutem, per quam apta divino cultui redduntur, ubi Cajetanus ait, hanc virtutem non esse qualitatem aliquam his rebus consecratis superadditam, quod est certissimum; alioqui fingenda esset in templo consecrato qualitas aliqua spiritualis illi inherens, et in eo permanens, quamdiu consecratio durat, quod non solum absurdum est, sed etiam ridiculum; dicit ergo Cajetanus esse habilitatem quandam, quam ipse spiritualem virtutem inchoative vocat; per quam hujusmodi res fiunt idoneæ ad excitandam in nobis devotionem et reverentiam, tanquam instrumenta Dei. Quibus verbis significat Cajetanum hæc sacramentalia conferre hunc effectum per veram efficientiam physicam. Cajetanum autem sequitur Soto, d. 13, q. 2,

art. 3. Favet etiam D. Thom., quæst. 71, art. 3, dicens, unctionem, quæ fit in capite baptizati, conferre auxilium ad conservandam gratiam baptismalem, et per salivam typicam et sacerdotalem actum, divinam virtutem operari salutem catechumeni. Quod sumpsit ex Rabano, lib. 4 de Inst. Cleric., c. 27. Aliorum vero sententia est, hujusmodi res non habere aliam vim ad excitandum hujusmodi bonum motum, nisi illam, quam ex natura rei sequi diximus ex significatione ad placitum, seu deputatione ad divinum cultum; sicut imagines excitant devotionem, et scripturæ, ac voces. Ratio est, quia nullum apparet fundamentum adtribuendum his rebus majorem efficaciam ad hujusmodi gratiæ effectum.

5. *Quid in hac re dicendum.* — Sed in hac re, media quædam via tenenda videtur; sunt enim inter hujusmodi sacramentalia quædam, quæ solum deputantur ad cultum divinum absque ulla speciali consecratione, vel benedictione, ut sunt imagines, aliqua ornamenta et aliquæ pallæ, vel oratoria, et his similia. Quædam vero sunt, quæ licet benedicantur, tamen in orationibus vel aliis cæremoniis, quibus benedictio fit, non postulatur hujusmodi effectus, ut videre licet in benedictione candelarum, etc. Aliæ vero sunt, quæ consecrantur et benedicuntur, orando et postulando hujusmodi effectum, ut patet in benedictione vestium sacerdotalium, etc. Dicendum ergo est in primis, in nullis sacramentalibus esse virtutem ex opere operato ad dandum hujusmodi effectum. Et primo, quod non sint instrumenta physica, probatur, quia licet non implicet contradictionem, tamen nec est necessitas, nec fundamentum ullum ad id asserendum; cur autem sine sufficienti fundamento affirmabimus, datam esse Ecclesiæ potestatem ad instituendas et elevandas res sensibiles, ut sint instrumenta physica spiritualium effectuum? Alioquin eadem facilitate posset quis dicere, habere Ecclesiam potestatem ad instituenda instrumenta physica gratiæ, quia non est minus supernaturale, quod templum vel alia res similis efficiat in anima supernaturalem actum gratiæ, quam quod aqua efficiat habitum gratiæ. Item, sicut est proprium Dei dare gratiam habitalem, ita etiam dare gratiam auxiliantem et excitantem; ergo, sicut ob hanc rationem non potest Ecclesia instituere signa effectiva gratiæ habitualis, non poterit etiam instituere signa effectiva gratiæ auxiliantis. Nec

D. Thom. de hac virtute locutus est, præsertim in posteriori loco; agit enim de cæremoniis baptismi, quæ fiunt circa parvulum, qui non est capax hujusmodi motus eo tempore, quo baptizatur; postea vero non potest cæremonia baptismi habere circa illum physicam efficientiam. Hac ergo efficientia relicta, quæ nullo modo probabilis est, ostenditur præterea, hunc effectum non esse ex opere operato, eadem fere ratione cum proportione applicata, quia non potest Ecclesia instituere signum, in quo infallibiliter detur gratia sanctificans ex opere operato, etiam seclusa efficientia physica; ergo nec potest instituere signum, in quo infallibiliter detur gratia auxilians ex opere operato; patet consequentia, quia utriusque gratiæ solus auctor est Deus; et ideo solus ille potest illam promittere infallibiliter sub signo sensibili; et non constat dedisse alicui potestatem hoc promittendi nomine suo. Et confirmatur, quia in nulla Ecclesiæ benedictione vel consecratione reperitur hujusmodi promissio, sed solum oratio, in qua postulat a Deo hujusmodi effectum. Neque ullo testimonio, vel auctoritate Ecclesiæ, ostendi potest Deum hoc aliquando promisisse; sine promissione autem, non potest intelligi spiritualis effectus ex opere operato.

6. *Dicendum secundo.* — Unde secundo dicendum est, quando hujusmodi res sacræ deputantur aut benedicuntur, absque oratione Ecclesiæ ad hunc effectum specialiter ordinata, non esse in eis ullam vim seu specialem rationem, propter quam eis tribuatur hic effectus, præter illam, quæ ex natura rei sequitur, scilicet per modum signi excitantis memoriam. Probat, quia seclusa promissione et oratione, nullum superest fundamentum talis effectus, ut clarius patebit ex sequenti assertionem.

7. *Dicendum tertio.* — Addo ergo tertio, quando hæc sacramentalia in sua benedictione specialiter ordinantur, per Ecclesiæ orationem, ad tales effectus, tunc per modum impetrationis specialiter conferri a Deo tales effectus adhibitis hujusmodi sacramentalibus; ut, verbi gratia, credendum est, in templo consecrato ratione consecrationis Deum specialius assistere ad exaudiendas fidelium orationes, vel eorum animos ad devotionem excitandos, et sic de aliis. Probat, primo, ex ipsismet Ecclesiæ orationibus, quæ apud Deum magnam vim habent ad impetrandum; diligit enim eam tanquam sponsam. Item, quia alias